

omni hostilitatis genere per eas debachatur. Postremo Aurelianus urbem obsidet; quem¹ Anianus, vir sanctissimus, eiusdem urbis pontifex, frequenter interpellabat pro urbe et civibus suis. Requisitus ergo ab eodem Attila, cuius esset offitii, pastorem se respondit gregis dominici et curae sibi, ne lupus Christi irrumpat ovile. Ira comotus Attila tale fertur dedisse responsum: 'Si pastor es, tuas custodi oves, quia talis eis imminet lupus, qui eas magis confitiat gladiis quam dentibus'. Hoc audito responso, tristis ad suas revertitur oves, precipiens, ut ieiuniis et orationibus insisterent. Triduanoque ieiunio nondum expleto, Etius² patrius ad subsidium Galliarum iam sero advolat, fultus nichilominus Merewingi regis Francorum et Theoderici Wisigothorum regis militibus copiis. Attila vero, non tam audito quam etiam viso adventu Aetii, obsidionem amovet et contra hostem utpote manu pugnaturus accingitur totis viribus. Quid plura? In campis Calaunicis³ pugna conseritur adeo gravis, ut ab hora diei nona⁴ usque ad direptionem⁵ noctis CLXXX hominum interirent. Attila⁶ valde colliso exercitu vincitur totaque nocte in castris trepidus se continuit et buccinis clangere fecit, piram etiam ingentem ex sellis equorum componi fecit, ut, si hostis manū advenisset eumque obsedisset, ipse in ea igne subposito se penitus arsisset; sed preter spem ei accidit. Aetius enim iniquo⁷ usus consilio, reditum parat in patria, sicque Attila⁸ evadens repatriat. Et redintegrato exercitu Italiam⁹ petit, cuius omnes penē urbes aut diruit sive dirumpit aut incendit. Ad quem accedens Leo beatissimus papa, non solum salutem, sed, ut rediret, obtinuit. Requisitus itaque Attila, cur ei tam fuisset placabilis, respondit se eum non fuisse⁹ reveritum, sed senem quandam venerabilem evaginato gladio sibi mortem minitantem, nisi eius in omnibus inpleret voluntatem. Altero¹⁰ vero ab hoc anno idem Attila Wisigothos aggressus, a rege eorum victus, redit inglorius. Qui in nuptiis cuiusdam puellae quadam nocte nimium crapulatus, erumpente per apoplexiam sanguine de¹¹ naribus, in lecto est suffocatus. Etius etiam hoc anno a Valentiniano tertio huius nominis imperatore interficitur, et¹² ipse imperator altero anno a Transila eiusdem Aequitii milite perimitur.

1) Vgl. die Vita Aniani c. 9 (SS. R. Merov. III, 115), die hier, wenn auch wohl nur mittelbar, zu Grunde liegt. 2) Sigebert a. 453 (a. a. O. S. 309). 3) So C. 4) Jordanis, Getica 37, 196 (ed. Mommsen, Auct. ant. V, 1, S. 109): 'circa nonam diei horam proelium sub trepidatione committit'. 5) 'direptionem' C. 6) Paulus a. a. O. XIV, 7. 8 (S. 203). 7) 'iniquus' C. 8) Sigebert a. 454 (S. 310). 9) 'fuisse' C. 10) Sigebert a. 455. 11) 'in nar., de lecto' C. 12) Sigebert a. 456.